

tantum hisce terminis utraque claudatur, cum & ulterioribus continuari, & aliis eadem progressio proponi possit.

Manifestam etiam in earum explicatione committere videtur autor ejus, quod alibi dixit, contradictionem. Nam ternarium, ex quo cap. 42. *Ἐπιπέδου φύσιν*, superficies naturam, constare, primamque subsistentiam ejus in Triangulo spectari, putat; hic pro *lineari numero*, nempe pro latere supponit, dum ait, οἷός τε δὲ πρῶτον (2. & 3.) πλάτος δύνανται ὄντες φύσιν ἑξήμετρον cap. 38. p. 149. Scilicet, aut genuinam tetractyos numericæ rationem, ut à Pythagoreis consultò tectam, Theon non advertit; aut si Pythagorei reverà tales tantum tetractyas adeò venerati sunt, næ! miserè decepti subtiliter magis quàm verè philosophati videntur: quod tamen de tanti viri discipulis esotericis non facilè præsumserimus.

Potius itaque credendum videtur, Pythagoreos genuinam Tetractyn, h. e. genuinum computum quaternalem, exercuisse quidem domi; foris verò quidvis aliud substituisse, quod externâ specie Tetractyn æmularetur, & exotericis fucum faceret, ne tantum in mysterium facilè penetrarent. Nempe Tetractyn veram parium & imparium radices primas (2. 3.) continere necessum est, ut omnis generis numeros potentiâ compectatur: ex quibus fors obiter auditis nonnulli peculiare illas Tetractyas exsculperunt.

Porrò ternarium in illis progressionibus, modò Triangulum planum, modò circularem & interterminalē lineam, dixit Theon noster: 8. verò & 27, licet uterque cubus sit, alterum cubum & pyramidem, alterum cylindrum & spheram, appellavit, ubi subtili, sed insimul sterili ratione diastemata numeris illis applicare voluit, p. 150. sed in cap. 43. *quaternarium*, quem illic dixerat planum, nempe quadratum (sicut 9 circulum)